dies coniungunt noctibus, & requiem non inueniunt. Velut autem eum qui in excessu exercitij peccat, vitam abbreuiare non dubium est: ita vicissim, qui planè otiosè delitescunt, & vitam sedentariam habent, culpâ non vacant: quid enim agunt aliud, quàm vt morbos melancholicos foueant, podagras nutriant, superfluitates cumulent, catarrhis, ophtalmijs, apoplexijs, paralysibus & alijs morbis fomenta ministrent. Quemadmodum non inconcinnè lusit Poëta, 1. part. 6.

Otium perpetuũ nocuum.

Cernis vt ingnauum corrumpunt otia corpus,
Vt capiant vitium, ni moueantur aqua.

Obseruandum itaque hoc symbolum.

Ne quid nimis.

CAPVT XVII.

De Somno & Vigilijs. Excretione & Retentione, & Animi Affectionibus in morbo isto obseruandis.

QVANTVM ad *somnum* & *vigilias* attinet in hoc affectu, sacra mediocritas seruari debet: multum enim ad integrè & commodè viuendum interest, dormiatne homo, an vigilet,

nisi hæc duo sibi inuicem debitè succedant, illicò summa corporis proclamatur confusio: *Somnus* enim, vt nemo non nouit, curarum abolitor, virium stabilimentum est, membrorum lassatorum refocillatio, atque fultura, & vt cõpendio dicam, corporis salus existit. Omnis enim potentia, quæ actum habet determinatum, quandò excedit modum in operando, fatiscit & lassatur, & nisi quiescat, aut ab opere cesset, dissoluitur, ac tandem corrumpitur; necesse ergò est, vt sensus, cùm sit potentia huiusmodi, quiescat: hæc autem quies sensuum in suis actionibus, somnus est: quo reciprocè cum vigiliâ egent animalia, vt in suo esse naturali persistant ac conseruentur. Quamobrem somnus & vigilia teste Hipp: 2. aph: 3. vtrumque, si modum excesserit, malũ, quoniam plurima damna ex horum immoderantiâ & plerumque mors subsequi solent. Sed hæc quæ ob vigiliam accidit, dissolutis viribus, & dissipato natiuo calore tardior est, quàm quæ ob immodicum somnum, retentis excrementis, & suffocato natiuo calore contingit. Non attingendus cibus est, nisi corpus exercueris, hinc quieti locus datur, quæ moderata esse debent:

Somnus in hypochondriacis.

nam

nam quod labor articulis & carnibus, id cibus & ſomnus viſceribus. Argumento ſint nobis ij, qui vel vnam ſaltem noctem inſomnem abigunt, totâ die ſunt fracti, tædioſi, nauſeabundi, oſcitantes, debiles, facie alienâ, flatibus & cruditatibus abundantes cernuntur. Ideò qui aliquâ ratione vigilare coguntur, parcè admodũ edant, ac bibant, ſi ſalutis ſuæ curam habere velint. Quanto verò temporis interuallo ſomno indulgendum ſit, ex alimentorum perfectâ cõcoctione id æſtimandum venit. Omniũ quippe vna & eadem ſomni quantitas eſſe nequit, cùm nonnulli citiùs, alij tardiùs concoctionem perficiant. Quamobrem Galenus, ob diuerſam ętatum, temporúmque mutationem & faciem, nullam certam & æqualem menſurauit dormiendi menſuram. De hoc tamen nos non occultauit, ſomnum minorem horarum 6. aut 7. nec maiorem 8. eſſe debere, eâ videlicet de cauſâ, quòd alimenti concoctio in ventriculo ac epate tanto temporis ſpatio abſoluatur. Ad ſomni tamen quantitatem limitatiùs definiendam, temperamentum, ætas, alimentum & labor antecedens, conſideranda. Longior quippe ſomnus conuenit biliosis, quàm pituitoſis,

ſeni-

ſenibus quàm junioribus, ijs quibus liberalior, quàm quibus frugalior heſterna extitit cœna, nec non & ijs, quibus improbus corporis aut animi pręceſſit labor, quàm quibus nullus. Diurno nocturnus præſtat, pomeridianus conſuetudine, vigilijs, ventriculi imbecillitate, curis grauioribus aliiſque cauſis vtilis eſſe poteſt, aliàs minimè. Nunquam ſub Ioue frigido, vel arboribus, quarum vmbræ peſtiferæ ſunt, dormiendum eſt. Expedit à cœna vnam aut alteram horam honeſtè confabulando, aut Muſicæ concentibus, aut alio quopiam modo, lætando tempus tranſigere, quàm ſtatim cœnâ peractâ, ſomnum capeſſere. Forma decubitus, ſecundùm communem ſententiam, ſit in dextrum primùm latus, ad promouendum cibi deſcenſum, vt eo promptiùs cibus in ventriculi fundum deſcendat, dein conuertendum in ſiniſtrum, quo jecur incumbens, cœptam coctionem adiuuet. Decubitus ſupinus, caput, neruóſque offendit, ſtuporem, paralyſin, apoplexiam, & calculum procreat. Pronus verò, ijs potiſſimum noxius exiſtit, qui oculorum defluxione laborant.

Abſo-

Absoluto somno & vigilia, ad *Excreta* & *Retenta* progrediendum est. Breuem námque vitam efficiunt, teste Arist: lib: de longit: & breuit: vitæ, excrementorum in nobis prouentus, & eorundem plùs justô retentio, cùm inutilia sint, morbos generant, & vitæ cursum intercidunt, eorum autem præcipuè, quorum corpus multâ prauorum humorum saburrâ oneratur. Quod testatur Hipp: 2. aph: quando inquit; vbi alimentum præter naturam plùs ingestum est, hoc morbum facit: ostendit autem sanatio. Quemadmodum autem plures sunt excremẽtitiarum superfluitatum differentiæ, ita varias etiam & diuersas natura ijs destinauit sentinas, cloacas & emissaria. Repleti námque oculi, per eorum cauitates: caput, per aures: cerebrum, per nares & sternutationem: thorax, per pulmonem & tussim: ventriculus, per vomitum & screatum: intestina, per aluum: renes, per vesicam: lien, per hæmorrhoides: cutis, per poros & insensibilem transpirationem (natura validâ existente) euacuantur. Quando igitur natura suâ spontè de dictis membris, & per ea quæ enarrata sunt instrumenta, debito modo, ordine, & tempore superfluitates suas excludit & secer-

Excreta & Retenta.

ſecernit, tunc ſalua res eſt, & nulla querimonia. Quòd ſi autem ab actione ſua impediatur, & æger perſentiſcit plethoram illi moleſtam fieri, tunc morbus quicunque in promptu eſt, niſi per artem inanitionis promoueatur: (ars enim naturæ imitatrix) ſi itaque natura, munus diarium conſuetum non perfecerit, ars eidem opitulabitur: ex retentione enim & conſtipatione alui, plurima mala euenire poſſunt, vt catarrhales deſtillationes, aſthma, vertigines, paralyſis, imò & ipſa apoplexia. Nam aſtrictâ aluo, laborat detentis fæcibus caput, ſtatímq; fumis, tetríſq; vaporibus tentatur, vertigo oboritur, hebetantur ſenſus, ſitis, oris amarities, torpor, tædium ferè vitæ, onerosa denique omnia redduntur, adeòque iniucunda: cor fuliginibus oppletur, jecur concalefit, obſtruitur: niger aut flauus icterus in aſtrictiore aluo ſuboritur: inappetentia, halitûs fœtor, omnia denique in morbum prona, ſi venter reddendo cõtumax. Aluus itaque ſemper lubrica & mollis ſeruanda: ſiquidem nihil eſt, quod Hypochondriacos magis infeſtet, quàm alui adſtrictio, viſcerúmque obſtructio. Quod ad remedia verò adſtrictioris alui attinet, certa definitione

Ex alui cõſtipatione qualia proueniãt mala.

præ-

præſcribi nequeunt. Erudito itaque Medico negotium hoc committendum, qui cathartica pro cuiuſque indiuidui temperamento, ætate, regione, humoris prædominio, exhibere poterit: nec fortioribus ſolutiuis, ſed magis laxatiuis vtatur: nam nulla eſt medicina ſolutiua, quæ non aliquam de viribus & ſubſtantia corporis noſtri partem deprædetur: & vti Hipp: docet; medicinæ purgant & inueterant: potiùs caſſię florem, mannam, rhabarbarum, cum frequentiſſimo Clyſteriorum vſu imperet: omnibus enim ſeculis (inquit Celſus lib. 2. de med: cap. 12.) nihil inuentum eſt mitiùs, nihil benigniùs, nihil vtiliùs, ſi aluus parum ſuo officio reſpondet, quàm Clyſter ſapienter accomodatus; & vbi cætera purgantia, quantumuis mitia ſint, ventriculum peruertunt, appetitum deijciunt, ſitim inducunt, & diu morantur, & alias ſecum trahunt moleſtias: ibi Enemata operationem expediunt ſtatim, trahendo per ſucceſſionem, non tàm quæ ſunt præ foribus, quàm quæ longiùs remota. Quæ vtiq; cauſa eſt, cur Itali hoc inanitionis tutiſſimæ genus ſeruitiale nominent; ceu gratum aliquod ad ſanitatem ſeruitium, quo Magnates Italiæ & Gallię ſingu-

Clyſterio. rum vtilitas & beneficium in ſoluenda aluo.

lis mensibus vti solent. Vnde & Gal: inquit, Clyster est juuamen seu medicamen nobile, euacuans ab inferioribus, & diuertens à superioribus, cum primis autē in hypochondriacis, &c. Reliquas inanitionis species, cùm magis pertineant ad Chirurgiam & Pharmaciam, hic fusiùs tractare intermittemus.

Tandem procedimus ad *Animi affectus* siuè *pathemata*, quæ sola affectum hypochondriacū producere valent, præsentémque miris modis fouent & augent. Tria sunt generalia animi vitia, quæ tribus animæ partibus respondent, ad quas scilicet referuntur: Plato enim in Timæo, & 4. de rep: tres tantùm facultates constituit, quas partes animæ vocat, nimirum rationalem siuè intelligibilem, animosam, & concupiscibilem: singularum vt suæ sunt actiones, sic & vitia. Ad primam enim, quæ mentis & rationis author est, referuntur symptomata paraphorica, quæ rationem & intelligentiam, principis facultatis actionem, deprauant; quæ quidem Gal. ad Pathologiam reuocat, quòd grauem aliquem corporis affectum consequantur, nec nisi curato corpore mitescant. Ab animosa verò facultate, quæ in corde sita est, ani-

Tria generalia animi vitia.

mi

mi pathemata excitantur, eáque tantò leuiora aut grauiora, quantò illa languidiùs aut vehementiùs commouetur: quæ facultas, licet sit expers rationis, ei tamen assidet, tanquàm auxiliaria, sed ad cohibendum cupiditatis impetum, si quando rationis jussa respuerit. Tertij generis sunt amarthimata, quæ Arist: 5. Ethic. sunt tantùm leuia errata: sed apud Xenophont: 5. Pæd: etiam pro grauioribus peccatis sumuntur. Galenus eo nomine quælibet morum vitia intelligit, siuè ex falsa opinione siuè ab immensa quadam gloriæ, pecuniæ, ciborum, veneris cupiditate proficiscantur. Ex quibus cõstat, non ad solam vim concupiscibilem quæ in jecore sita est, ea posse referri, cùm multa ex ijs pendeant, partim ab animali appetitu, partim à voluntate, quæ cùm sit homini propria, si rationi obtemperet, nihil appetit, nisi quod sit honestum, & virtuti consentaneum. Quòd si sensuum illecebris adhæreat, nec rationis fræno coerceatur, bonis apparentibus delusa, nihil aliud quàm monstra vitiorum producit: quæ non solùm animi temperamentum, sed etiam totius corporis œconomiam non rarò peruertunt, & animæ lethum adferunt. Moderare

autem, & ea juxta normam rationis gubernare, ne ſuos cancellos excedant, ſoliùs S. Spiritus auxilio & verbo DEI poſſumus, juxta illud Gen. 4. ſub te erit appetitus tuus. Quomodo autem ſint gubernandi, in eo præcepta omnia Decalogi, tota Philoſophia Moralis, & vniuerſa Iuridica facultas occupata eſt.

Quid ſit perturbatio animi.

Eſt igitur perturbatio animi, motus quidam in ſpiritibus præceps & inordinatus, turbulentũ & inquietum animũ à via recta rationis agitans. Cùm itaq; animus cũ corpore indiſſolubili quadam vnione cohæreat, vt impoſſibile ſit vnum valere, altero languente: ideò cura haud leuis eſſe debet, frenare & adhibere modum & rationem, graues hoſce impetus & ſanitatis hoſtes compeſcendi. Variæ autem numerantur ſpecies à Medicis perturbationum mentis, quę longæuitatis fila præſcindere conſueuerunt: veluti *Ira, Gaudium, Triſtitia, Timor, Auaritia, Cura, Inuidia, Venus*, & huius generis aliæ. Quæ quoſdam angunt de die, inquietant de nocte, vrgent in aurora, ſtimulant veſperi, vt tandem (ſarcina ingraueſcente) ante diem ſuccumbere neceſſe ſit. Quamobrem Gal: cap. 25. art: medic. ſaluberrimè præcipit, omnibus ab eiuſmodi animi

Varia ſpecies perturbationum.

affe-

affectibus cumprimis abſtinendum eſſe, eò quòd eorundem magna vis ſit ad corpus alterandum, & à naturali ſtatu euertendum: nec ex illis omnibus vllus vſus, præterquam *gaudij* exiſtat: hoc enim ſolùm teſte Fernelio, cor exhilarat, ſpiritúſque lætitiâ diffundit, natiuum calorem ſuſcitat, ſanguinem humoréſque extenuat, quibus ſalus comparatur, conſeruatúrque ſanitas: animus enim gaudens (vt ait Salomon) ętatem floridam facit: ſpiritus verò triſtis, exiccat oſſa; & ſane *triſtitia* carnificina eſt, animum hominis exedens, planéque conficiens, ex quo Chryſippus ipſam mœſtitiam, ægritudinem appellatam putat, à græco vocabulo lypyn quaſi lypſin, id eſt ſolutionem totius hominis; nec immeritò: ſiquidem homo mœrore confectus tabeſcit, maceſcit, ſeneſcit miſer. Vnde non abs re celebratum olim extitit Samij Pythagoræ ſymbolum. *Cor non comedendum:* quod ſignat mœrorem ex animo eijciendum: ſimus ergò in gaudio, in hilaritate: ſimus animo, quantùm licet, defœcato: ſimus exporrectâ fronte, non corrugatâ; imitemur Socratem, qui in omni æqualitate fortunæ ac mentis, ſemper fuit ſereno & tranquillo animo. Denique

Triſtitia carnificina corporis & animi.

que pro istis animi pathematibus auerruncandis, obiecta grata, & animum recreantia, omnibúsque modis spiritus exhilarantia sectemur: siuè verbis facetis & delectantibus id fiat, siuè Musicâ vocali, aut instrumentorum harmoniâ, concentibúsq; summè mentem reficientibus, quæ non minima solent esse hilaritatis illicia, spiritúsque & animum omni delectationum genere pascunt & erigunt, sensus exhilarant, quâ capitur omne, quod viuit: quæ lenit passiones animorum, & sollicitam explicat frontem, tristitiam & melancholiam discutit, curas abigit, & ad leniendos affectus plurimùm valet. Vno verbo, quęrenda honesta curis solatia, juxta illud Poëtæ

Vtere conuiuis non tristibus vtere amicis
Quos nugæ & risus & joca salsa juuant.

Fides & *Spes*, inquit Celsus, lætitiæ affines sunt perturbationes, & quę ęgris plurimùm prosunt ad sanitatem recuperandam. Erigẽdi sunt semper in bonam spem, etiamsi plurima occurrant sinistri ominis: plùs enim potest, inquit Auicenna, ægri bona confidentia in depellendis morbis, quàm omnia Medicinæ remedia; diciq; vix potest ad hoc, quantùm possit de Medico

Confidentia ægri in Medicum quantùm possit.

dico aniticipata opinio; meliùs enim habet æger ad omnia quæ offeruntur, & faciliùs benè monenti paret. Proinde ex Galen. Comm: 2. ad 1. Progn. Medicus ille plures sanat, in quo plures confidunt. Quantùm *Ira* corpori humano & pręcipuè hypochondriacis noceat, in capite octauo, in quo de causis externis tractatum est, demonstrauimus: patientiâ igitur, continẽtiâ, & mansuetudine, infrænis affectus iste, frænandus est, & eiusmodi ignis aquâ continẽtiæ à ratione sublimatâ, & alembicatâ extinguendus est. At quæret aliquis, quî in iracunda affectione, aut irato homine, eiusmodi sedatiuum, ac illud contemperans papauer reperiatur? si in cordis, linguæ, manuúmque hortis maturè transplantetur, colatur, foueatur, & sedulò educetur. Quemadmodũ enim transplãtatiõe & cultu, cichorea naturâ amara hortulani artificio edulcescunt: ita si colamus & alamus in nobis hanc contemperantiam, hoc est, si docilitati, mansuetudini, moderationi assuescamus, naturam nostram, alioqui agrestiorem & ferociorem cicurabimus, ac ita moderabimur, vt contrarias facultates ac vires conciliet acquirátque. *Auaritia* quæ comitem semper habet

Ira moderanda.

Auaritia.

bet *Ambitionem* ſiue *ſuperbiam*, violentiſſima animi perturbatio eſt, quę ſola hypochondriacos, melancholicos reddere poteſt: gurgites maris citiùs expleueris, & dolia Danaidum, quàm illos bonorum helluones: cani ſimiles, qui quicquid excipit, protinùs integrum deuorat, & ſemper ad ſpem futuri hiat: aut renibus, qui adipe circumuoluti, ſicci ſemper ſunt, & aridi: ſic iſti dùm ſtipantur vndique diuitijs, & opibus eorũ ſcrinia reſtagnant, nunquam tamen ac ne minimo rationis dictamine, honeſtíque ſenſu, ad fugiendam auaritiam, ſordidóſque quæſtus muniuntur. Nam præter animi perpetuam ſollicitudinem, metũ, & angorem, quam fouent die noctúque, etiam parciſſime edunt & bibunt, & ſubinde corrupta quæque: ex quibus omnibus nihil in corpore præter ſalſum ſanguinem, retorridũ, impurum, ac peſſimos humores valetudinem labefactantes gignunt: vnde reddunturvaletudinarij, & de perpetuis doloribus cõqueruntur. Cúmque æſtiuis & hybernis tempeſtatibus ſeſe negotiando citra quietem torqueant, nec corpus aduerſus aëris iniurias ſufficienter muniant, quas nõ cruditates, incoctiones, obſtructiones, affectus hypochondriacos

&

& melancholias, innumerósque alios affectus causant? quibus vt medeantur, quid agunt? abstinentiâ nempè nimiâ, seu parsimoniâ sibi familiari vtuntur pro refectiõe: in purgantis verò medicamẽti vicem, si adstricta sit aluus, drachmam vnam granorum ebuli, rhabarbaro alioqui cariori substituunt, vsi alicuius veneficæ consilio: ne apud medicos & pharmacopœos sumptus vllos faciant. Tandem huiusmodi auari, si bonorum aliquam jacturam patiantur, eo adiguntur, vt sibi laqueo vitam eripiant, vel in puteos præcipites se dent, vt hâc ratione corpus & animam justo Dei judicio perdant. Auaritiam sequitur portentosum mõstrum *Inuidia*, quod longè horribiliore, & magis execrandâ ceteras vincit pernicie. Ambitio siquidem virtutis speciem sustinere videtur: auaritia boni alicuius imaginem simulare, quo sibi & posteris consulat: at inuidia nihil habet, quod jure fucũ suæ perturbationi comparet: sed ex felicitate alterius suum contrahit infortunium, & ex alterius infortunio suam sibi conciliat felicitatem. Inuidus est alter Prometheus, cuius cor à vulture acerbissimis, ijsq; assiduis cruciatibus eroditur & vellicatur: ipsum theatrum, ipsum supplicium

Inuidia.

cium, ac ſimul ſui carnifex: cui tabes illa inſtar hirudinis ſanguinem exhaurit, medullas exiccat, oſſa abſumit, vt macie, pallore, ſqualore, & habitu corporis prorsùs deformi & horrido ſceleton potiùs quàm hominem referat. *Ambitioſus* itaq; per humilitatis panaceam: *Auarus* per liberalitatis præcipuè verò in pauperes Eleemoſinæ Gazophylacium: *Inuidus* verò per beneuolentiæ media nutriri & curari debet. Spiritualiũ remediorum electionem, in aureis opuſculis magni animarum Medici R^d^. *P. Drexelij* qui volet inueniet, cum theologica magis quàm medica in his animi perturbationibus requirantur media.

Venus. Reſtat adhuc *Venus* ſiue Amoris perturbatio, velut aliarum radix & ſcaturigo: inde enim oritur æmulatio, ab æmulatione ira & furor, à furore vindicta, &c. quæ animum nocte dieque contorquent: acutiſſimos reddit ſtupidiſſimos, & qui judicio pollent, dementat: prudentiſſimos ad inſaniam redigit, moderatos effrænat, & hominem in brutum commutat: nec modò juuenilis ætatis homines, ſed etiam ſenes, qui prudentiæ prærogatiuam ſibi vendicant. Nam neſtoreâ ſenectâ ſenem videas, cui jam ne ſpecies quidem hominis ſupereſt, balbum, delirum,

rum, edentulum, canum, caluum, vſque adeò amore venereo & vitâ delectari, vt alius tingat canos, alius appoſititiâ comâ caluitium diſſimulet, alius dentibus vtatur mutuo fortaſſis à ſue quopiam ſumptis; hic in puellam aliquam miſerè depereat, & amatorijs ineptijs quemuis etiam ſuperet adoleſcentulum. Nam vt capulares jam, meráque ſilicernia, teneram aliquam juuenculam ducant vxorem, eámque & indotatam, & alijs vſui futuram, id adeò frequens, vt propemodum & laudi detur. Sed multò etiam ſuauiùs, ſi quis animaduertat, anus, longo jam ſenio mortuas, adeóque cadaueroſas, vt ab inferis rediſſe videri poſſint, tamen adhuc catulire, & magnâ mercede conductum aliquem Phaonem inducere, fucis aſſiduè vultum oblinire, nuſquam à ſpeculo diſcedere, tremulóq; gannitu languentem ſolicitare cupidinem, potitare, miſceri puellarum choris, literulas amatorias ſcribere, &c. Ridentur hæc ab omnibus tanquam, vti ſunt, ſtultiſſima: at ipſæ ſibi placent, & in ſummis interim verſantur delicijs, totáſq; ſe melle perungunt. At ſi ſpectemus morbos ex amore venereo prodeuntes: videbimus quòd corporis & animi mollitiem pariat, lan-

guores, lipothymias, syncopes, paralyses, cruditates, omnis generis arthridites, vigilias perpetuas, omnem corporis œconomiam vitiet, vt subtumidi, pallidi, liuidi, & omni vegeto destituti colore huiusmodi homines conspiciantur: quin & luem illam veneream tàm famosam, lepràmque quâ totum corpus in frusta putrida soluitur, progignat.

Ideò eius excessum, inquam, tanquam venenum pestiferum fugiendum, ita etiam vt natura ad actum venereum exercendum studiosè nullatenus inuitetur. Credatur hic Auicennæ, lib. 3. natural: dicenti, quòd aliquis plùs sibi noceat excretione seminis (audite venerei) quàm si quadragesies tantum sanguinis effudisset. Nam specta mihi seminis primordia, non tantum ex sanguine ortum habet, sed diuiniore origine gloriatur. Plenum quippe semen spiritibus est, qui singularium partium Idæam continent, sexuum distinctionem, viuendi moriendíque fatale imperium tenent, quibus velut instrumentis natura corporis architectrix partes delineat, membranas extendit, canales in longum producit, & velut sufflatione quâdam perforat. Veneris ergò excessus,

ſus, teſte Bartholomæo Montagnana, vltimos medullis immittit aculeos, vt accedente ſenio incurabiles & effœminatas paſſiones, quibus mors præeligenda foret, adducat. Plures mea opinione Venus, quàm gladius interficit. Vnuſquiſque igitur in palæſtra amatoria ſemetipſum noſcat: nam qui ſibi notus erit, ſolus ſapienter amabit.

Remedium autem, qui nimium ab hac animi perturbatione exagitantur, primum & vniuerſalè quærant à Deo tanquam ſupremo Medico, judicia eius in ſe acerba reformident, cœleſti beatitudine æternùm carituri: proponatur quoque & prædicetur à fideli Medico periculi metus, vt monitis ac pręceptis alacriùs obtemperent ægri. Suadeatur etiam viuendi ratio perparca & ſobria, quę mirum in modum huic perturbationi animi conducit: ſine Cerere enim & Baccho friget Venus. Otium fugiatur: ad venerem enim exercendam proni ſunt, qui otio torpent. Proponatur etiam infelix exitus aliorum & ſubſequentes miſerabiles affectus, torſiones nempe, dolores, putredo, fœtor, lues venerea, cancer vultum ac totum corpus virore ſuo depaſcens, & id genus

alia

alia ſymptomata, quæ ſine funere perpetuum funus indies minantur, ac cruciatus ipsâ morte ferociores eiuſmodi ægris pariunt. Quibus omnibus ſuccedit horror, turpitudo, infamia, dedecus. Atqui de immoderata hæc dicta ſint venere, quæ hypochondriacis quoque ſummè nociua eſt. Moderata verò venus, quibus ratione ſtatus & matrimonij in ſanitatis tutelam eâ vti licet, exhilarat mentem, corpus degrauat, confortat ſenſus, fomitem melancholiæ expellit, & dolori capitis, lumborum, hebetationíque oculorum medetur, multas denique prohibet ægritudines, ſi rarò, leniter, & cum vxore exerceatur. Aurea igitur mediocritas, ſi in omnibus rebus vt Hippocrati placet ſeruanda ſit, profectò in venereorum vſu obſeruanda eſt. Medicè itaque, hoc eſt modicè & temperanter *viuamus, vt optimè* & verè ac jucundè viuamus: nullâ enim (vt cum doctiſſimo Fernelio concludamus) calamitate vel ærumnâ premetur, qui vitæ fundamentum jecerit *Temperantiam.*

EX.